166

Nobilissime et Amplissime Vir, fautor Colendissime.

Debui et volui, teste filio, jamdudum Nobilitati Tuæ rationem
aliquam studiorum ipsius reddere, verum nescio, an, et quo
naturæ vitio Nob. Tuæ curas publicas turbare metuerim. In
iis, quas ante octiduum Monnickelandiam curandas Hagam mise-
ram, qualemcunque ejus mentionem feceram; verum illæ eo non
pervenere, sed relatæ mihi sunt: quid obstaculi positum fuerit,
non constat. Segniter filium et cultum et impulsum non in-
juriâ N. Tua conqueritur. Experientia testis est. Miror.
Ingenium ei satis aptum est ad studia, et sine calcaribus fa-
cillimum. Dubito an fidem sim impetraturus, si ipsum et Ety-
mologiam et Syntaxin dedidicisse scripsero. Conjugationes
et declinationes firmissime iterum imbibit. Verum de Syn-
taxi quid agam, suspensus hæreo: consilium verò N. Tuæ de-
sidero: Scriptum exemplar habuit, e manibus illud periit,
non hic, sed jamdudum Hagæ; in memoria vix vestigia
ejus apparent reliqua. Christianus et Maur. addidicere
eam, quam G. Vossius conscripsit, quotidie, quæ componunt et ex-
plicant, ad regulas hujus applicant; hinc usu quidem ejus præ-
cepta ac regulas familiares sibi redderet: sed et eam, quam
Nob. Tua ipsi præscripsit, quia semel memoriæ jam mandavit,
facile sibi iterum imprimeret. Habuit exemplar Dni
Brunonis, promisitque se descripturum denuo, sed laborem illum
fugere aliquantulum videtur. Initium tamen jam fecit horis
succisivis: alias non impenderet, metuens, sibi hoc impe-
dimento fore, quo minus cum Christiano pergere possit. Za-
lichemii ante octiduum fui; toti tum erant in resarciendo damno
inflicto, omni studio, pergerent, promisere, et fecere etiam,
heri quippe secundò eo deambulavi. Subsistere dies quatuor vel
quinque fuere coacti, ob copias aquarum, quibus opertam molem
vidi, continuaturi opus inceptum, quam primum aquæ in minore
iterum fuerint: diebus sex septemve credo ipsos opus absolu-
turos: virgultorum palorumque satis in promtu jam ha-
bent, nullaque re aliâ, nisi solis aquis impediuntur,
quo minus pergant et conficiant. Quæstor Monni-
ckelandiensis pecuniam dictam numeravit. Vale
Vir Nobilissime, et fave

Nobilitatis Tuæ

summo observatori

Johanni Lampe.

Gouderojæ 15. Febr. st. v.
1647.

In damni taxationem ingressi, nil certi quidem definire potuere, sed judicant 3000 florenorum, plus minusve.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

S' STATS ARCHIEF

BPL 2212

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4553

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4553

110

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4553

Mijn heere

Mijn heere van Zulichem
Ridder, Raedt ende Secretaris
van Sijn hoocheijt.

In 's Gr.
Haage.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4553